Nr, 69/praes.

XI.

JOSEPHUS ALOYSIUS


LIBER BARO

PUKALSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Eques c. r. Ordinis Coronæ ferreæ II. Classis, Commendator c. r. Ordinis Francisci Josephi, Præses Commiss. pauperum Tarnoviæ .,. &c. &c:



Universo Venerabili Clero Diœcesano Salutem a Domino.

Quis Vestrum Venerabiles fratres ignorat, quantopere genius nostri aevi in reformando ordine sociali, et innovandis principiis juris publici desudans, propriis viribus fidendo, solis, iisque perpetuo nutantibus, quia fallacis rationis humanae principiis insistere conetur; quomodo omnes ingenii humani vires impendat, ut in ordine publico stabiliendo, se salutaribus Religionis revelatae, et respective Ecclesiae catholicae principiis carere posse demonstret.

Saluberrimi quidem religionis et ecclesiae catholicae in constituenda, stabiliendaque populorum, regnorum et totius generis humani salute terrestri fructus, historia novemdecim saeculorum luculenter firmantur; hoc vero non obstante, quaemadmodum jam a primis ejusdem religionis et ecclesiae incunabulis, ita et labentibus saeculis, et nostris quoque temporibus nunquam quieverat spiritus contradictionis et invidiae, qui prurientes auribus, ut ait S. Apostolus (II. Tim. c. 4. v. 3.) magistros, novitatumque cupidos adversarios in medium provocaverat, ut sub progressus et sublimioris sapientiae scuto ac praesidio, religionem revelatam spernerent, et loco doctrinae divinae humana placita collocarent.

Nimirum non frustra auctore S. Augustino Ecclesia Christi his in terris constituta, *Ecclesia militans* appellatur, et ob depravationem naturae humanae, sequelasque peccati Ei continuo contendendum erit cum adversariis regni divini,quamdiu peccatum est perduraturum.

Ita et hodiernis temporibus dimicandum Ei est cum agmine coryphaeorum sapientiae mundanae, ad quos merito referuntur verba Prophetae „Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas“ (Jerem. II. 13.); et iterum Gregorii Magni (Moral. L. 10. c. 16. in cap. 12. Job.) „Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quae falsa sunt vera ostendere, quae vera sunt falsa demonstrare. —

Triplex est causa, qua munere Nostro pastorali compellimur praesentes litteras ad Vos Venerabiles fratres, dirigendi, Vobisque varia pericula aperiendi, quae in Ecclesiam ruunt, ut simul modum Vobis praescribamus, quomodo in Ecclesia Dei Vos versari oporteat, ut veri pastoris munere fungentes, pericula ab ovibus vestrae curae concreditis avertatis, et vituperium mercenarii coram Christo Domino evadere valeatis.

Huc pertinent: lex matrimonialis recens, — porro lex de emancipatione scholarum elementarium a vigilantia et inspectione Ecclesiae,—ac demum lex interconfessionalis, quae leges consentiente utraque Curia Comitiorum Viennensium, et Ministerio—altissimam sanctionem nactae sunt die 25. Maji 1868, quas leges in Currendis Consistorialibus modo consueto Vobis communicabimus. —

Erronea sane et *fidei ac doctrinae catholicae de Sacramento matrimonii absona* est assertio: *matrimonium contractu mere civili coalescere, id est pacto mere civili contrahentium effici, de cujus valore, nec non conjugalis consortii observatione sola auctoritas civilis judicare valeat.* Nam matrimonium etiamsi contractu efficiatur, tamen contractus hic utpote circa *personas* versans cum qualibet alia pactione, ubi de *rebus* terrestribus agitur, sine gravissimo Majestatis divinae et dignitatis humanae dispendio confundi aut eidem aequiparari haud potest. Ideo omnes antiquitatis gentes matrimonium utpote societatem divinae institutionis, tamquam rem religiosam venerabantur et tractabant, et *Jus Romanum* declarat: *nuptias esse conjunctionem maris et foeminae, consortium omnis vitae, divini et humani juris communicationem.*

Equidem Civitas gaudet jure vinculis seu consortiis inter marem et foeminam initis, effectus civiles matrimonii adscribendi aut vero adimendi; verumtamen religionis veneratio, con-

scientiae subditorum catholicorum debitus respectus, porro sanctitas et gravitas ipsius vinculi matrimonialis, nec non officiorum pro contrahentibus inde emanantium et effectuum in ipsam civitatem inde redundantium ratio ac pondus id necessario postulant, ut civitas *intuitu Catholicorum* nonnisi ejusmodi consortiis conjugalibus effectus et jura civilia attribuat, quae coram Deo, videlicet *interveniente Ecclesia ope* sacramenti sancita sint. Non minus exinde prono alveo fluit, etiam causas matrimoniales catholicorum, sive de vinculi ipsius *valore*, sive de conjugalis consortii *separatione* agatur, *modo conscientiae catholicae condigno*, nonnisi judicem ecclesiasticum competenter cognoscere et judicare posse,—idque eo magis in Imperio Austriae pro Catholicis a Regimine Sacrae C. R. Majestatis praestolari et postulari debet, quum vi Concordati inter S. Patrem **Pium IX.** et Caesaream Majestatem **Francisci Josephi** die 18. Augusti 1855. articulo X. sancitum sit, ut causae ecclesiasticae omnes, et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones, nec non officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdemque cognoscat Judex Ecclesiasticus, qui perinde de causis quoque matrimonialibus juxta sacras canones, et Tridentina cumprimis decreta judicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad judicem saecularem remissis, — Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica judicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, &c...

His tamen non obstantibus aliter evenit. In Comitiis namque Regnorum Austriae Viennensibus utriusque Curiae, habita consensione et probatione Ministerii majoribus suffragiis nova lex matrimonialis assensum obtinuit, quae iterum die 25. Maji 1868. sanctionem altissimam nacta est, vi cujus legis matrimonialis codicis austriaci civilis ex. a. 1811., tenore concordati ex anno 1855 quidem abolitae, vigor etiam pro Catholicis denuo restituitur, Jurisdictio in causis matrimonialibus judiciis civilibus adscribitur, ac tandem iis nupturientibus, quibus Ecclesia celebrationem matrimonii denegaverat, facultas tribuitur, ecclesiasticis sanctionibus desuper supersedendi, et ut voti sui compotes fierent, ad Magistratus civiles se convertendi, ibique matrimonio sic dicto civili se invicem jungendi.

Quis jam in rudimentis saltem fidei catholicae, et Juris canonici versatus non intelligat, legem praelaudatam sacris canonibus intuitu matrimonii contradicere, in Jurisdictionem Episcopalem involare, ac tandem levioris fidei catholicis latam viam sternere, ut spreto matrimonii Sacramento, ac vilipensa auctoritate et legibus ecclesiasticis contemptis, Magistratus civiles fine consortii matrimonialis ineundi adire possint? Quapropter de praedicta lege ad Vos verba facientes cum summo animi dolore fateri cogimur: eandem adinstar calamitatis probantis admitti ad Deo, qua fidem et virtutem quorundam experiretur, ut ait S. Paulus (I. Cor. c. XI. v. 19.) „ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis."

Potestas et Jurisdictio Episcopalis a Deo immediate, non autem a civitate derivatur, juxta effatum S. Apostoli Pauli „Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. (Act. XX. 28.)

Quodsi autem exercitio istius potestatis civitas difficultates strueret, non potest tamen Episcopos potestate hac spoliare, neque etiam Episcopi difficultatibus ejusmodi, sine sum-

mo muneris sui discrimine et missionis ac officii Apostolici oblivione succumbere et potestati huic renunciare possunt.

Sacra Synodus Tridentina, potestatem et Jurisdictionem Episcopalem in causis matrimonialibus in specie, solenniter et dogmatice eloquitur: „*Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit*" (Sess. XXIV. can. 12. de Sacram. matrim.) Etiamsi igitur nova lex civilis supra citata, manifeste sanctiones canonicas infringat, et praeter jus, de effectibus civilibus matrimonii statuendi, omnes causas matrimoniales, uti: jus impedimenta matrimonii etiam dirimentia statuendi, porro causas nullitatis matrimonii et separationis a thoro et mensa, instantiis et judiciis civilibus attribuat; hoc tamen non obstante nullum praejudicium Jurisdictioni Episcopali generare, aut vero officii et obligationis vim quoad Episcopos auferre vel diminuere; neque etiam fideles ab obligatione absolvere potest in hisce causis, Pastoribus divinitus institutis et sanctionibus sacris desuper obligantibus obediendi: quaemadmodum enim Episcoporum officium et munus ecclesiam regendi nulla aliena potestate aut lege aboleri aut arctari potest; ita etiam fidelium obligatio in conscientia Tribunalibus Episcopalibus obediendi nulla aliena dispositione valet auferri aut relaxari.

Matrimonium, siquidem contractu efficiatur, attamen uti supra observatum est unum e septem novae legis Sacramentis constituit. *Ratio porro sacramenti a contractu in matrimonio nullo modo separari potest, et valor matrimonialis contractus cum valore sacramenti indivulse cohaeret.* Quia vero juxta ordinationem Jesu Christi sacrum ministerium, ergo praecipue ministerium sacramentorum unice et exclusive Ecclesiae docenti inhaeret, hinc exinde necessario sequitur:

a) Ecclesiam jure proprio eoque originario et exclusive *conditiones* statuere posse, a quibus *valor sacramenti* et respective ipsius matrimonii pendet, seu quod idem est, *Ecclesiae exclusivum jus competere impedimenta matrimonii dirimentia statuendi.*

b) Inde quoque necessario concluditur, nonnisi Ecclesiam et respective Tribunalia ecclesiastica de *valore* vel *nullitate* sacramenti seu matrimonii ipsius judicare nec non decernere.

c) Denique solam Ecclesiam decernere valere, quando et quibus sub conditionibus ad mentem sacrorum canonum Sponsalia in casibus specialibus obtineant, nupturientesque ad fidem sibi datam in conscientia servanda obligent, et quando et inter quae rerum adjuncta conjuges catholici vinculo sacramentali juncti, ab obligatione consortium matrimoniale observandi sive in *perpetuum, sive ad tempus tantum in conscientia* absolvi possint.

Ideo Nostrum Tribunal Episcopale pro causis matrimonialibus, ultro munus et officium suum gerere et exercere minime cessabit. Hoc tamen inter praesentem et anteriorem rerum statum in ordine civili seu externo obversabitur discrimen, quod amodo sententiae et decisa Judicii Ecclesiastici in causis matrimonialibus effectus quoque civiles, ut hucusque obtinuit, non sint sortitura, et propterea ex parte Instantiarum civilium executionem non obtinebunt, quin vero ob defectum executionis civilis vel minimum detrimentum obligationis in conscientia pro

quolibet catholico patiantur. Immovero inter haec ecclesiae discrimina, tentationumque pericula eo gravius obligationis in conscientia quo quolibet catholico enascitur pondus, ecclesiae ejusque ordinationibus obediendi, quo graviores ex obedientia hac, et observatione avitae fidei pro morigeris exsurrexerint molestiae.

Quodsivero hoc non obstante tales invenirentur, qui ex conscio malevoloque proposito, salutis animae suae incurii, Judicia Ecclesiastica in causis matrimonialibus spreverint, et horum Judiciorum sententias pervicaciter comtemserint aut evitarint, hos tanget judicium ipsius Jesu Christi: „Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Math. XVIII. 17.)

Haec autem considerantes, minime inficias imus, etiam Vobis Venerabiles fratres haud leves molestias imminere, quae ex executione praefatae novae legis civilis matrimonialis exurgent; hinc sequentibus normam Vobis praescribimus, quomodo in arduo hoc rerum statu in Ecclesia Vos versari oporteat, ut fidelium salutem Vestramque conscientiam salvam custodiatis, verum etiam superfluas molestias et incommoditates evitare valeatis.

I. Quoniam nostris funestis temporibus diversissimi et non minus perniciosi errores non tantum in occultis serpere, verum etiam effrenato ore scriptisque impune propagari possunt; hinc facile fide leviores et virtute imbecilliores in discrimen trahi et seduci possunt, ut posthabitis ecclesiae praeceptis, conscientiam suam, matrimonium civile coram magistratibus civilibus contrahendo, contaminent.

Equidem recens lex civilis matrimonialis, matrimonii coram civilibus magistratibus celebrationem non imperat, sed solummodo permittit, et nupturientium libertati relinquit, pro casu, si eisdem ab ecclesia celebratio matrimonii ex causa canonica, id est propter impedimentum mere canonicum denegaretur magistratus civiles adeundi, ubi praescripta ecclesiastica vilipendendo matrimonio civili jungi possint, quod matrimonium tali modo contractum *civile ex necessitate* (małżeństwo z konieczności) appellatur. Superfluum ducimus fusius disserere, matrimonium ejusmodi, utpote amissa essentiali forma Concilii Tridentini (Sess. XXIV. cap. 1. de Reform. Matrim.) et spretu interventione ecclesiastica Sacramenti charactere carere, adeoque invalidum et irritum esse coram Ecclesia. (Trid. ibid.). Summopere adlaborandum est, ut populus fidelis a data sibi hac permissione utpote saluti animae perquam perniciosa deterreatur.

Quapropter omnibus ac singulis Curatoribus animarum districte praecipimus eosque in Domino obsecramus, ut ante omnia adultos praesertim de *Sacramento* matrimonii exacte erudiant, et hunc in finem crebrius per annum e sacro suggestu in concionibus, tum in catechisationibus doctrinam hanc exacte proponant, et cum unctione cordibus audientium imprimant; denique secundum indigentiam vivide et efficaciter eis ob oculos ponant, quam atrocem et mortalem reatum ii contrahant et insuper censuris ecclesiasticis obnoxii fiant, qui sacramentalem gratiam respuendo, matrimonium civile non in facie Ecclesiae, sed coram magistratibus civilibus inire ausi fuerint.

II. Item severe inculcamus, ut examen cum nupturientibus eadem cum solertia ac circumspectione, ac hucusque obtinuit instituatis, exacte investigando, num matrimonio instanti obstet impedimentum canonicum *dirimens*, aut vero impedimentum *prohibens* sive canonicum sive civile.

Intuitu impedimentorum canonicorum dispensabilium, oportet fine impetrandae dispensationis ad Nostrum **Ordinariatum** se convertere, et hac obtenta si insuper cum impedimento canonico, etiam prohibitio civilis (impedimenta mixta e. g. consanguineitas collater. in 2. gradu aequali vel inaequali) conjuncta fuerit; necessarium erit etiam a respectiva civili instantia dispensationem obtinere. Nupturientibus, qui dispensationem ab impedimento canonico jam obtinuerant, poterit Curatus loci consilio et auxilio adesse, ut etiam dispensationem civilem impetrent, pro iisdem non minus necessariam, ut nimirum matrimonium eorum effectus civiles matrimonii sortiatur.

Quod attinet impedimenta cognationis spiritualis, porro cognationis et affinitatis in secundo aequali gradu, aut tertio mixto, tum affinitatis ex copula illicita, ac demum quasi affinitatis, quae justitiae publicae honestatis appellatur; apud Sanctam Sedem supplicabimus, ut Nobis hoc obtutu ampliores dispensandi facultates elargiri dignaretur.

III. Quia nova lex matrimonialis civilis restituendo antiquas sanctiones matrimoniales codicis civilis austriaci, restituit quoque vigorem quinque impedimentorum civilium *in foro civili matrimonium dirimentium*; et quidem: 1) minorennitatis 2) status militaris, 3) damnationis ad durum carcerem, 4) complicitatis in causa divortii matrimonii, 5) defectus omnium trium bannorum; hinc Vos districte monitos habere volumus, et severe inhibemus, ne obstante quocumque horum impedimentorum civilium nupturientes ad celebrationem matrimonii admittatis. Si quidem matrimonium obversante quocunque horum impedimentorum contractum, coram Deo et in foro utroque Ecclesiae validum foret, verum tamen in foro civili qua invalidum consideratum, cum gravissimo contrahentium damno destitueretur juribus et effectibus civilibus matrimonii; hinc non tantum poenis obnoxii evaderetis, verum etiam coram Nobis, ob gravem praevaricationem, rationem reddere teneremini.

IV. Quoniam nova lex civilis matrimonialis *defectum omnium trium bannorum*, qua impedimentum *dirimens in foro civili* restituit (ut supra III. n. 5.), qui quidem defecfus juxta sanctiones canonicas matrimonii valori non derogat, sed idem tantum illicitum reddit (canones sacri namque defectui bannorum vim irritantem matrimonii nunquam adscripserant); hinc tenore praesentium litterarum omnes Parochos, Administratores et Expositos ad universitatem negotiorum parochialium extra Tarnoviam constitutos, facultate exornamus, ut casu *urgentis necessitatis* quando tempus Nostram Curiam fine impetrandae dispensationis adeundi defuerit, et *nupturientes dispensationem ejusmodi ab instantia civili obtinuerint*; talem dispensationem ex parte Ecclesiae *potestate Ordinarii delegata* impertiri eisdem valeant; his tamen cum restrictionibus.

1) Si nupturientes a *duobus* bannis dispensationem obtinuerint, hi tamen nonnisi elapsis 48 horis a momento factae proclamationis unius banni ad celebrandum matrimonium admitti,

poterunt, ut hoc tempore omnes impedimenti alicujus huic matrimonio fors obstantis gnari, idem ecclesiae aperire valeant, secus enim una haec proclamatio banni ejusmodi rationi legis illuderet.

2) Quodsi vero pro casu urgentis necessitatis ob istantem *articulum mortis* saltem unius nupturientium, ageretur de dispensatione ab *omnibus tribus bannis*, iterum omnibus Parochis, Administratoribus, Expositis extra Tarnoviam facultatem tribuimus ab omnibus tribus bannis potestate Ordinarii delegata dispensandi his tamen servatis conditionibus, ut a) nupturientes prius dispensationem talem a respectiva civili instantia obtineant b) ut ab ambobus nupturientibus, juramentum prius excipiatur, quo contestentur se nullius impedimenti conscios esse, quo valor matrimonii istius in discrimen adduci posset.

V. Quia matrimonium est *Sacramentum novae legis*, et cum gravissimis jungitur obligationibus, hinc quilibet ad hoc sacramentum suscipiendum progrediens, praeter articulos fidei catholicae, etiam officiorum gnarus esse debet, quae ad matrimonii sacramentum accedendo suscipit; de quo animarum pastor ope examinis antenuptialis praeprimis quoad personas rudiores se certiorem reddere, et obversante defectu hujus scientiae aut ipse aut per cooperatorem erudire tenetur. Inveniuntur vero quandoque inter populum rudem homines adeo obtusi ingenii, ut vix plus addiscere valeant, quam quod jam ante primam confessionem didicerant. Quodsi igitur hi saltem fundamentalium articulorum (de necessitate medii et praecepti, item quae ad sacramentum matrimonii pertinent) fidei catholicae gnari, non obstante aliquot dierum institutione, nullos aut valde exiles progressus fecerint, poterunt tandem ad celebrationem matrimonii admitti. Ubi de cetero animarum Curatores, sive in schola sive in catechetica institutione adultorum et juventutis christianae, genuinum et indefessum laborem et fervorem explicaverint, vix haec supina religionis christianae ignorantia inveniri poterit.

VI. Sacra Synodus Tridentina (Sess. XXIV. cap. 1. de Ref. matr.) omnes nupturientes hortatur, ut in statu gratiae sacramentum matrimonii suscipiant, et hunc in finem ante matrimonii celebrationem peccata sua diligenter cofiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant. Haec conditio ab omnibus nupturientibus et absque ullo discrimine status praestanda est. Quodsi vero nupturiens melius educatus asseveraverit, se alibi sacram confessionem peregisse, huic declarationi tandem acquiescendum erit, et attestatum de peracta sacra confessione ab eodem amplius non est exigendum; qui enim in adeo gravi articulo capax fuerit mendacii, hic facille capax erit ementiti ejusmodi testimonii sibi procurandi.

VII. Quodsi Instantia civilis conjuges fine obtinendae separationis a thoro et mensa ibidem comparentes, ad Curatorem animarum relegaverit, ut hic juxta sanctiones codicis civilis, eosdem ternis vicibus sibi invicem reconciliare studeat: officii ejus erit muneris sui spiritualis partem debito cum zelo exercere, et utrique parti solemne *juramentum* coram Deo et Ecclesia, mutuae fidei, amoris, et consortii conjugalis ad *dies vitae* servandi emissum in memoriam revocare, omniaque adhibere, quae Spiritus Dei et pastoralis prudentia suggesserit, quibus conjuges

exacerbati, sibique infensi, placari, amorque conjugalis sopitus excitari valeat. Verum hoc peracto, jam officio pastorali satis praestitum est. Attestatum super actu hoc etiamsi requireretur, exhiberi non potest, secus enim agens Parochus contestaretur, se agnoscere instantiae civilis competentiam super conscientia conjugum, quoad obligationem consortii matrimonialis judicandi, qua competentia judex civilis caret. Denique conjugibus, qui ab instantia civili separationem a thoro et mensa obtinuerant, imponendum est, ut causam hanc etiam Judicio Ecclesiastico cognoscendam anteponant, et ejusdem quoque sententiam ad paccandam conscientiam expetant.

VIII. Omnes in matrimonio civili viventes, tamquam publici peccatores coram Ecclesia considerandi sunt, quia despectum praescriptorum Ecclesiae, tum ipsum matrimonium non in facie Ecclesiae ineundo, tum illud continuando, publice et cum scandalo fidelium omnium manifestant Quodsi igitur ad Sacrum tribunal Confessionis accesserint, absolutionem sacramentalem obtinere haud poterunt, nisi se paratos et promptos declaraverint, illegitimum in Ecclesia et peccaminosum hoc consortium derelinquendi, aut vero matrimonium si idem admitti poterit in facie Ecclesiae et forma Conc. Trid. praescripta contrahendi. Quodsi vero sponsioni huic in confessione datae minns steterint, in alterioribus confessionibus tamdiu non absolvantur, donec promissis in prima illa confessione, ubi nefarium suum vinculum confitebantur datis, *actu* non steterint.

Ob indolem publicam (ut supra observatum fuit) praevaricationis in qua pertinaciter perseverant, juxta praescripta Ritualis Romani art VIII. etiam a SS. Eucharistia sunt arcendi. Similiter juxta praescripta ejusdem Ritualis de Patrinis art. IV. non poterunt admitti in administratione sacramenti baptismi qua patrini, poterunt vero ad instar testium huic actui assistere.

Quodsi vero in articulo mortis, istius peccati eos vere poenituerit et simul non tantum sacerdoti promiserint, se post recuperatam valetudinem consortium hoc deserere, aut vero matrimonium in facie Ecclesiae contrahere velle, verum etiam insuper in praesentia duorum testium, populum Dei ob scandalum publice hac vita datum deprecati fuerint: poterunt absolutionem obtinere, et si tandem hoc morbo consumpti excesserint, sepultura ecclesiastica non sunt privandi. Quodsi vero hi (quod Deus avertat) etiam in articulo mortis conditiones has adimplere recusaverint, et absque poenitentia non contriti exierint: iisdem tamquam publicis et obduratis peccatoribus sepultura ecclesiastica erit deneganda, quin vero locus sepulturae in coemeterio catholico eis denegetur.

Non minus vero charitas christiana jubet, quam pastoralis prudentia exigit, ut cum his qui in matrimonio civili vivunt, procul ab omni dura et ardua agendi ratione, omni cum mansuetudine agatur; aequali ratione ac cum aliis peccatoribus publicis, quos charitate christiana devincere et pro regno Dei lucrari oportet, ut praeeunte gratia divina, et ab eadem allecti errorem et peccatum suum agnoscere valeant, et ad Deum convertantur.

IX. Mulieribus post partum, quae in matrimonio civili pepererant, benedictio in Rituali praescripta haud impertiatur.

X. Actus baptismi prolium in matrimonio civili progenitarum libris metricalibus Natorum ita inseratur: ut in rubrica thori signum simplex (—), in rubrica vero parentum, post-

quam nomina eorum jam inscripta fuerint, apponatur „*parentes in matrimonio civili vivunt.*“ Item in testimonio baptismi pro ejusmodi baptisatis, exhibito, idem in rubrica thori exprimatur, juxta tenorem originalis; aut vero si testimonium per extensum scriptum fuerit, addatur: „filium vel filius parentum in matrimonio civili viventium N. N. et N. N.

Filius in tali nexu progenitus tamquam irregularis, ad majores Ordines sacros propter defectum natalium, nonnisi cum dispensatione a Sede Apostolica admitti poterit.

In libris Mortuorum, hi qui in matrimonio civili vixerant, quin addatur expressio, „maritus“—„uxor“—inscribantur, exprimendo solummodo alteram partem cum qua defunctus— vel defuncta in matrimonio civili vixit. e. g. Adalbertus N. vixit in matrimonio civili cum Agatha N. — Agatha N. vixit in matrimonio civili cum Adalberto N.

Quum ad mentem articuli II. § 9. novae legis de matrimoniis civilibus, respectivae politicae instantiae ex officio testimonia super contracto matrimonio civili curatoribus animarum communicare obligantur; hinc seorsivi gerantur libri Copulatorum, in quibus obvenientes casus matrimonii civilis praenotentur, atque post inscripta personarum nomina addatur: *Adductae hic qua sponsi personae, juxta officiosam notificationem ddtto... die... contubernium civile contraxerunt.*

Quodsi proles tamquam illegitima in metricis inscripta, cujus parentes naturales postea *civile* matrimonium contraxerunt, legitimationem tali modo per subsequens matrimonium civile obtinuerit, et tamquam legitimata libris metricarum ab auctoritate civili adnotanda jubeatur; addenda erit in libro baptisatorum loco respectivo haec adnotatio: *Proles haec in fundamento mandati officialis ddtt.... post civile contubernium parentum suorum die.... contractum, quoad effectus civiles legitimata extitit.*

Quodsi vero parentes prolis, ante civile matrimonium vel post idem contractum natae matrimonium validum in forma Concilii Tridentini inierint; addenda erit in libro Natorum loco respectivo adnotatio: *Per subsequens matrimonium ecclesiasticum vide tom... pag...* vel: *Per subsequens matrimonium parentum suorum, vide testimenium copulationis Officii parochialis ddtto... contractum, proles haec pro foro ecclesiastico legitimata est.* —

De Scholis elementaribus porro breviter disserentes, non possumus Vobis curam et sollicitudinem earundem satis imponere, ut videlicet in juvenili et flexibili animo istius tenerae progeniei semina virtutis christianae eo majori cum zelo et alacritate jacere possitis, quo majora et graviora fidei et morum desolationis pericula e neglectu religioso juventutis christianae exurgant; porro perquam Vobis notum est, quam difficile opus sit jam adultos sed perversos et aetate maturos, sed inveteratos et induratos peccatores emendandi.

Scholae elementares apud populos christianos, a primordiis religionis christianae ex Ecclesia egressae sunt, et aequalem cum eadem inter prospera et adversa fata sortem tulerant; cura autem earundem partem integrantem muneris sacerdotalis et officium omnis praescriptionis expers constituit. Etiamsi igitur lex civilis supra citata, scholas has a vigilantia et inspectione Ecclesiae liberas pronuciet; hoc non obstante eo magis Vos hortamur, ut muneris et officii Ve-

stri omnem efficaciam in schola exserere conemini, quotiescumque de fidei christianae principiis, morumque praeceptis tenero cordi juventutis scholasticae imprimendis, et de periculis perversionis ab eadem avertendis, agatur. —

Denique quoad mixta matrimonia observamus, quoties de iisdem contrahendis agatur tenendum in posterum esse (ut hucusque obtinuit) tenorem Bullae „Cum Romanus" Pontificis Gregorii XVI. de 22 Maji 1841.—hinc si nupturiens acatholicus conditiones ibidem statutas praestare recusaverit, celebrationi matrimonii ejusmodi nonnisi passivam assistentiam ex parte Curati catholici praestari posse.

De cetero si successu temporis, amplioris Instructionis in causis propositis indigentia innotuerit, hanc Vobis suo tempore communicare haud morabimur. —

Dum autem haec ad Vos verba facimus firmam spem fovemus fore, ut muneris ac officii sacerdotalis perpetuo memores, omnia haec praescripta ad amussim adimpleatis. Ardua sane et gravissimi ponderis sunt haec tempora, in quibus fides nostra et charitas erga **Christum** et Ecclesiam probationibus fiet abnoxia: ecce tempus est quo zizania a tritico cognosci et separari poterunt. Verum vigilate et orate, ne intretis in tentationem (Math. XXVI. 41.)

Orate, ut non tantum adversitates, si tales ob amorem Christi et obedientiam erga Ecclesiam in Vos irruerint, patienter perferre, verum etiam insidas vanae gloriae hujus mundi fortiter refellere valeatis. Siquidem dulce est Christum diligere et Ecclesiae adhaerere inter tranquilla et prospera ejusdem fata, verum gloriosius et efficacius inter tentationes et pericula, ut docet S. Paulus „Sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit" (Rom V. 3 — 5).

Sed etiam cavete Vobis a fermento illorum, qui sub praetextu perperam intellecti progressus fideles Christi ministros sic petere solent, ut quorum virtutem et constantiam afflictionibus fatigare verentur, subdola saltem vanitatis hujus mundi tela in eosdem jaciant. Quapropter mementote verbum Divini Salvatoris „Vos estis sal terrae. Quodsi sal evanuerit, in quo salietur?" Math. V. 13. et S. Pauli „Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem" (Gal. I. 10). In omnibus non propriam sed Domini Nostri Jesu Christi gloriam quaerite.

Hinc praeprimis vita integra et virtute intemerata exemplum vivum perfectionis christianae exhibeatis, ut non tantum omnem cavilationis ansam adversus ministros altaris et Ecclesiam abigatis, verum etiam dubios haerentes et debiles exemplo hoc vivae virtutis, in veritate, amore Christi et Ecclesiae roborare possitis Pax et benedictio sit cum omnibus Vobis. Amen.

Dabamus in Palatio Episcopali Tarnoviae 24. Junii 1868.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviæ. Impensis Consistorii, typis Anastasii Rusinowski, 1868.